



PHARMACOLOGIÆ

SEU

MANUDUCTIONIS

AD

Materiam **M**EDICAM

LIBER TERTIUS.

De Zoologia.



Zoologia est pars Pharmacopœiæ, quæ medicamenta ex Animalibus desumpta recenset.

Animal est corpus animatum, sensu & motu spontaneo præditum, vel potius sentiendi & se movendi facultate, licet non mutet locum, *R. Synop. Animal. p. 1.* Ita disertè *Aristoteles, lib. 2. de Anima. cap. 2. tex. 16.* Animal per sensum & propter sensum primariò est Animal. Etenim quæ non moventur, neque mutant locum, habent autem sensum, Animalia ea dicimus. Om-

nibus ergo Animalibus (inquit doctissimus *Raius* loco citato) unus saltem inest sensus *v. g.* Tactus, quod *Aristoteles* sæpius inculcat. Inter sensus autem primò inest Animalibus omnibus Tactus: & sicut facultas vegetativa seu nutritiva separari potest à tactu & ab omni alio sensu, ut in plantis videmus; ita tactus separari potest, & seorsim existere ab omni alio sensu. Animalia autem omnia videntur tangendi sensum habere.

De Animalibus autem tam vivis, quàm morte interemptis, commonere hic expedit, eligenda esse, quæ extra dispositionem morbosam, & hinc detrimentosam, constituta sunt. Itaque si ex vivis expetis, provideas sana ea sint: sin ex interemptis, interempta illa adhibeas morte violenta extrinsecus.

cus accedente. Etenim expetitur medicinalis cujusque rei substantia, eaque ad medicationem apta, adeoque facultatibus morbofis destituta, salubribus è contrario delibuta. Hæc imprimis pars rei spiritiosa est, in naturali scilicet dispositione constituto, facultatibusque peregrinis orba: Nimirum hæc, ut morte naturali paulatim senescens consumitur, curriculoque suo destinato perfuncta, in principia sua resolvitur: ita eadem ipsa, si flamma vitalis violenter extinguitur, superstes aliquandiu manet, nec à corpore separatur, donec hujus dissolutione & ipsa dissolvatur; & quidem talis fere illa superstes suppetit, qualis erat, dum flamma illa exstinguebatur. Et quæso quid causæ subesset, quod solum animalia mactata culinis expectantur, posthabitis quæ secus obierunt, nisi sit, quod illa balsamica seu spiritali prædita sunt substantiâ, ad nutritionem requisita; hæc vel eadem destituta sint, vel inquinatam & insalubrem possideant? Schrod.

ANIMALIUM

TABULA GENERALIS.

Animalia sunt vel

Sanguinea, eaque vel
 Pulmone respirantia, corde ventriculis prædita,
 Duobus
 Vivipara,
 Aquatica: *Cetaceum* genus.
 Terrestria, pilosa: *Quadrupedia*.
 Ovipara: *Aves*.
 Unico, *Quadrupedia* ovipara non pilosa.
 Branchiis respirantia: *Pisces*.
 Exanguia
 Majora, quæ vel
 Mollia.
 Crustacea.
 Testacea.
 Minora: *Insecta*.

CLASSIS PRIMA,

DE

Animalibus Exanguibus.

SECTIO PRIMA.

De Animalibus exanguibus minoribus, seu de Insectis.

Exanguia minora *Insecta* appellantur, quod ut nomen indicat, incisuras habent, aut in partibus supinis, aut pronis, aut in utrisque, Raii Synop. Animal. p. 54.

Insecta sunt vel

Apoda,
 Aquatica: *Hirudo*.
 Terrestria: *Lumbricus*.
 Pedata,
 Alis destituta,
 Hexapoda, caudâ
 Oblongâ & acutiore, minor: *Pediculus*.
 Obtusa
 Subrotunda, major: *Ricinus*.
 Rhomboide, minor: *Cimex*.
 Octapoda,
 Caudata: *Scorpio*.
 Non caudata: *Araneus*.
 Polypoda: *Millepedes*.
 Alata,
 Anelytra, seu pennis nudis & detectis,
 Glabris,
 Quadripennia, aculeis
 Armata, corpore
 Gracili: *Formica*.
 Habitiori: *Apes*.
 Carentia, pedibus posterioribus
 Prælongis, & ad saltum compositis
 Domestica, troglodytæ: *Gryllus*.
 Campestris: *Locusta*.
 Brevioribus, nec saltui idoneis: *Cicada*.
 Bipennia: *Musca*.
 Farinaccis, antennis
 Clavatis,